QVÆSTIO MEDICA

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum die Jovis 31. Decembris.

M. ARMANDO IOANNE DE MAVVILLAIN, Doctore Medico, Præſide.

An Iracundiores fœminæ difficiliùs pariunt?

ANIMI motuum vehementiſſimus & jucundiſſimus, amor eſt. Hôc elati mas & fœmina, mutuos eunt in amplexus, ut ſemen in ſpem ſobolis ſuſcipiendæ profundant. Id expreſſum atque decerptum ab utroque parente germen fœcundum excipit uterus, non ſinè ſenſu molliſſimæ jucunditatis. Quod ſi arctè complexum non diffluat illud ex agro naturali, nuſquam otioſa natura brevì prima jaciet hominis fundamenta. Quæ ſit ea virtus quæ toti confuſa ſemini partes illius à ſe invicem diſtinguat, diſtinctas illuſtret, perpoliatque, non conſtat apud omnes Philoſophos. Ad mentem per totum infuſam mundum, rerum effectricem omnium confugiunt aliqui. Sunt qui ſpiritus comminiſcuntur architectos ſemini connatos. Alij calorem opificem, ædificatoremque corporis eſſe magnis animis contendunt. Quantùm aberrent à ſcopo veritatis ejuſmodi ſententiarum aſſertores, non eſt hujus loci pluribùs declarare. Partium ſingularum univerſi corporis epitome, ſemen. Hominem itaque novum condi quid aliud? Quàm has partes contractas & obſcuras advenientis hoſpitis animæ opera explicari magis, & magis diffundi nutritij humoris appulſu beneficioque. In hunc uſum venam, & arterias adornat natura quibus alibilis ſuccus ex utero transfundatur ad tenellum corpus. Atque ut tutum illud ab omnibus injuriis incrementum ſumat; duabus membranis circumtegitur. His involucris concluſus fœtûs, quaſi Pullus ovi teſtâ circumambiente ſinè chyloſi, ſinè æmatoſi, ſinè ſpirandi officio nutritur in dies, augetur, perficitur: donec tandem in has vitales auras quaſi victor ovans è carcere prorumpat.

VERE novo ſpirantibus Favoniis omne genus animantium æſtro Veneris percitum, vitæ beneficium quod ipſi à naturâ collatum eſt, novâ ſuſceptione prolis ardet, aucto cum fœnore naturæ referre. Sicut ſuum habent definitum coeundi tempus, ſic & habent pariendi bruta, cujus fines nuſquam prætergrediuntur: ità Canis quarto ſemper menſe, & Elephas anno ſecundo certâ & conſtanti lege fœtum enititur. Solus homo velut exlex quovis tempore dat operam liberis; quos nunc ocyùs, nunc tardiùs ex utero fundit. Cave tamen cujuſvis fœtus excluſionem partûs illuſtriori nomine dones. Niſi firmis lateribus, artubus robuſtis, & partibus ſingulis eleganter deſcriptis prodeat in lucem fœtus, aborſum continuò voces, non partum. Nuſquam ideò parere Urſam crede, ſi rudem, quod aiunt, & indigeſtam carnis molem profert, quam linguâ lambendo velut artifice manu parens ingenioſa poſtmodùm fingat & exornet. Antè ſeptimum menſem nullus verè partus. Qui ſexto fiet ἀμφλίωσις erit, vel ut loquitur Medicinæ Princeps ἔκτρωμα, ἀπόφθορα. Nec enim niſi græca fides habenda mulieribus quæ ſexto menſe fœtus à ſe editos prædicant, ità confirmato corpore, ut ſuperſtites illi, nec non & incolumes hâc uſurâ lucis potiti ſint. Quoniam quavis datâ ocaſione conjuges amplexantur, habent in manibus, ſinu ſuo fovent, & oſculantur fœminæ; ſæpiùs eas latet quâ die pretioſa legerint Amoris poma. Qui nono contingit menſe partus, fauſtis contingit avibus; perfecto jam fœtu, maturoque. Decimo qui accidit, tardè quidem accidit, ſed ſinè turpitudinis notâ vel matris vel prolis nomini inurendâ. Deſudant plurimùm Aſtrologi facto examine planetarum in reddendâ ratione cur octavo menſe nati libitinam æque citò ſalutent ac lucem. Huic gravidarum menſi fruſtrà ſuum adſcribunt præſidem Saturnum vitæ ſemper inimicum, necis plerùmque authorem. Hunc tu menſem naſcentibus dicas ſemper acerbum ſemper luctuoſum cum Hippocrate, quod nunquam tunc temporis valeat fœtus ob labores quos jam jam ſubiit, ut occluſos uteri materni parietes reſeraret.

LATEBRAS uteri multiplici nomine fugit fœtûs. Qui jam ipſius in corde potentior emicat calor, aëre liberiore frui poſtulat; nec ampliùs ſanguineo contentus pabulo, lacteo craſſiori, refici avet. Quid quod mole nimiâ fœtûs grandioris uterus laborat, & defatigatur; adeò ut impar ſuſtinendo ponderi ſuccutiat ſeſe & erigat ad onus deponendum. Qui uteri anguſtias alteram ex cauſis partûs agnoſcit: neſcit ille profectò quod Canes quotidiè terminis detineantur locorum anguſtioribus, & etiam ſi captivi non creſcant, vivant tamen. Partus quibuſlibet animantibus opus eſt plenum aleæ, plenum periculi. Quod dè Viperâ narrant & dè piſce Aciculâ quæ præ dolorum immanitate inter pariendum exanimari ſcribunt, fabula. Fortunatior equidem brutis exiſtit partus, quàm mulieribus. Tam in laboribus quàm in doloribus fœminæ molliores noſtræ ſunt. Caput humani fœtûs in utero tantam in molem accreſcit, ut in immenſum diſtendi, & à ſe propè divelli partes neceſſe ſit, quò facilis ipſi via pateat ad exitum. Econtrà verò in genere brutorum fœminæ non cedunt pleræque robore maribus, patientes ſunt æquè laborum; & cum earum fœtus minùs augeantur in utero ſecundùm partes ſuperiores; his primò viam affectantibus, inferiores, licet ampliores facillimè conſequuntur in partu. Tantos habet cruciatus partus, ut ſuperſtitioſa patrum noſtrorum ætas, Proſam cœlo locarit deam & Poſtverdam, quarum altera naturalibus partubus, altera vitioſis exorata faveret & adeſſet. Quamquam in partu fœminarum gens univerſa feris dilanietur doloribus, quorum aculei nullis herbarum virtutibus, nullis incantamentis obtundi penitùs queunt: non eſt tamen fors æqua parturientium. Aliæ aliis graviùs aut mitiùs afficiuntur. Major partûs difficultas, ab amplâ oris uteri patefactione. Hanc adeò ſtupendam eſſe dicebat Galenus, ut hominis intellectum ſuperaret. Et ipſe qui ſolius naturæ ſtudio vacabat Medicus dè Diis parùm ſollicitus, providentiam divini artificis in hoc caſu laudat & miratur attonitus. Vaſtum hunc & immanem oris uteri hiatum procurat exundantium aquarum effluxus, qui ruptis fœtûs involucris evenit. His namque rivis muliebria latè loca ſuaviter irrorantur, & innocenter omnes remittuntur fibræ: ità ut flexiles illæ fœtui quà capite, quà pedibus exitum animosè molienti cedant, atque pareant ſequaces. Proût humidius ab arte, vel à naturâ contingit os illud uteri, tantò commodiùs ſolvitur; in modum panni qui nuſquam latiùs expanditur quam cum humore madet.

SANGUINIS ebullitio circà cor, vel in ejuſmet ſinubus, ira eſt. Hinc qui tentantur hâc cupiditate, non minùs ferè calent quam qui febre correpti æſtuant. Citatior illis continuò pulſus eſt, reſpiratio crebrior, vox elatior, ſcintillant oculi, facies rubet, motus univerſi corporis incompoſiti ſunt; & ſicuti cauſus animæ facultates eximias labefactat: ſic & hæc perturbatio rationi tenebras offundit; ita ut ſi temperantiâ cupiditatum omnium moderatrice non coerceatur, nec monitis amicorum paret, nec precibus flectitur ullis iratus, certus illatam injuriam mordicùs proſequi, donec pœnas ab inimico repetierit. Quoniam omne genus animantium ut hominum incurrere poteſt in ea quibus graviter offendatur, nullum eſt ex iis quod non tangitur irâ. Quantùm eâ percellantur, vel Inſecta, Apum inter ſe bella gerentium diſcordiæ demonſtrant. Hæc ὀργιλότης cauſam habet temperiem univerſi corporis & potiſſimùm cordis calidiorem, ſanguinis fervorem, fluorem, tenuitatem, mobilitatem, & ad partes ſuperas impetum. Sic animalia ſi ſpectes quorum ira nobilior, hæc ſingula comperies infeliciùs nutriri, difficili bile tumere, pulſu eſſe concitatiori, cute aridiori, pilo duriori, ſiccitatis in iis prædominantis argumenta certiora. Quis hâc ſolâ perſuaſus ratione non videt quantæ calamitates immineant pariturae, quæ ità ſit ad iraſcendum à naturâ comparata. Siccior in eâ vagina pudendi & propè cartilaginea, ſiccius os utrumque uteri quam difficulter aperietur. Certè earum partium fibræ tam citò ferè diſrumpentur quam laxabuntur. Ex hac violentâ ſolutione continui quis dolor, quam triſtis, quam aſper ſenſus? Non ſe parere clamat præ deſperatione mulier, ſed abdomen unguibus quaſi ferreis dilacerari, vel dentibus Ferarum atrocibus inteſtina crudeliter arrodi conqueritur. Atque ut ſejungatur ab utero jecur uterinum, cui tenaciter adhæret, quibus exagitatur Colubris, quo pungitur, imò perfoditur enſe omninò vix conſolabilis mulier? In temperatioribus aquæ ſalientes à laceris fœtûs operculis uterum undequaque irrigando partum mirè juvant; ab hoc imbre vix aliquid commodi percipiunt iracundiores, quod ſalſior in iis hæc aqua ſit, quâ ulceratur, & ſiccatur potiùs uterus, quàm emollitur.

OMNIS animi vehementior commotio parturientibus exitioſa, tota ſui juris eſſe debet natura in hoc opere nobiliori, quò liberè ſuis utatur inſtrumentis ſanguine ſcilicet ac ſpiritibus ad ejus abſolutionem, perfectionemque. Si avocatur ab incæpto molimine, conatus non niſi leves ad partum expectandi, quibus nullatenùs promovetur ille, tantum abeſt ut compleatur. Ità ſi cum ſpe divite non ſe accingat ad partum mulier, ſed falſâ opinione futuri mali jam antè penè exanimata contremiſcat, horreatque; ut lentior, ſic moleſtior dubiô procul continget partus. Hujus acerbitatem ſummam lenientium ope medicamentorum ars noſtra temperare diligentiùs ſtudet; maximè verò peritâ Chirurgorum manu, quæ fœtum adducit morantem, attrahitque: vel debitâ figurâ non prodeuntem repellit, & ut decet inclinat. Quæcumque parturienti verè opitulari Carmenta contendit, id unum curare potiſſimùm debet ut ſanguinis & ſpirituum fluxus ad partes inferas dirigatur. Dum fibræ uteri ſpiritibus plenæ turgent, fortiùs incumbunt in opus, & validiori niſu fœtum expellunt. Dum vaſa quibus alluitur uterus exuperante ſanguine diſtenduntur, premitur uterus, premitur ipſe quem continet fœtus, atque adeò volens, nolens impellitur ad egreſſum. Quid ſalutarem hunc ſanguinis atque ſpirituum curſum ad uterum ſiſtit magis, aut ſaltem remoratur quam iracundia? Quæ ſanguinem & ſpiritus advocat & protrudit ad ſuperas partes; ità ut eâ tyrannidem ſuam exercente, diſſitæ partes à corde langueant frequentiùs calore defectæ. Et quoniam iracundiam potentiſſimè provocat dolor: ardet illa magis ac magis ob partus immaniſſimos cruciatus, ſic ut ipſa mulier iracunda ſibi tunc temporis admodùm infenſa ſæpiùs in partu concidat; à cujus equuleis aliquandò duce & auſpice Lucinâ liberaretur ſi paccatiori eſſet animo, modumque teneret, ac tranquillitatem quâ fœlicior efficitur vita, morborum arcentur impetus, & ad omnia munia promptiores reddimur & alacriores.

Ergò Iracundiores fœminæ difficiliùs pariunt.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ludovicus Poirier.
M. Dionyſius Puylon.
M. Ioannes-Baptiſta de Revelois.
M. Edmundus Charrier.
M. Raphaël Maurin.
M. Ludovicus Gallais.
M. Franciſcus Gouël.
M. Claudius Quiquebeuf.
M. Franciſcus Pijart.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE

Proponebat Lutetiæ PETRUS PAULUS GUYART Pariſinus. A. R. S. H. MDCLXXVI.